



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Sacramentis. In qua Tractatibus decem de Sacramentis in genere, tum
speciatim, videlicet de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia spectata ut
Sacramento, & ut sacrificio: de Pœnitentia, de Suffragiis, Indulgentiis, &
Iubilo, de Bulla Cruciat, de Extrema-unctione, & demum de Ordinis
Sacramento ...

**Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669**

De ritibus, & cæremoniis in Baptismo solemni seruandis. 12

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76649)

PUNCTVM XII.

De ritibus, & caeremoniis in baptismo solemniter seruandis

1. Qui de his late agant.
2. Qua de causa plures in administratione baptismi, quam alterius sacramenti ritus assignentur.
3. Designatio patrini, & consecratio baptismalis fontis praerquiruntur.
4. Tertio praerquiritur petitio baptismi, & qualiter.
5. Quarto trina exsufflatio in faciem baptizandi.
6. Quinto signatio crucis in fronte.
7. Sexto impositio manus super baptizandum.
8. Septimo exorcismus.
9. Octauo impositio salis ori catechumeni.
10. Nono iterum Sacerdos imponit manum, & signat baptizandum.
11. Decimo imposita manu iterum benedicit.
12. Undecimo abrenunciatio catechumeni.
13. Duodecimo inunctio pectoris, & scapularum.
14. Decimo tertio professio fidei.
15. Quo tempore baptismus ministrandus sit.
16. Quo loco, & quomodo.
17. Chrysmate ungitur caput baptizati.
18. Vestis candida qualis sit usus.
19. Datur ceteris accensus.
20. Alia caeremonia antiqua cessantur.
21. Ab his caeremoniis postmodum adhibendis non excusatur ob baptismum prius in necessitate receptum.
22. Quid de baptismo ab hereticis facto.
23. Baptismo inualide ministrato solemniter, negant plures caeremonias esse repetendas.
24. Probabilius est oppositum.
25. Fit satis oppositis rationibus.

Qua breuitate ponero explicabo caeremonias, & ritus tum antiquitus, tum in praesenti in administratione baptismi obseruatos, illorum explicatio petenda est praeter antiquos patres à D. Thom. 9. 71. art. 1. 2. & 3. eiusque expofitoribus praecipue Valent. disp. 4. q. 1. pen. 4. Valq. disp. 166. per totam. Suar. disp. 30. sect. 1. & 2. Item à Bellarm. lib. de baptismo cap. 24. & 25. Henric. lib. 2. cap. 18. & 15. Reginald. lib. 27. cap. 5. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 2. cap. 8. & aliis Neotericis.

2. Ecclesia, vt constat ex rituali Romano plures caeremonias, & ritus instituit obseruandos in baptismi administratione potius quam in administratione aliorum sacramentorum ob eius ornatum, & splendorem. Tum quia erat reliquorum sacramentorum inania. Tum quia materia vulgaris, & communis constabat, ob idque rudibus hominibus contemptui expositus. Tum quia speciales effectus operabatur quos oportebat tum verbis, tum rebus significari. Hirtus, (vt ex relatis doctoribus constat) alij antecedunt baptismum, alij comitantur, alij subsequuntur.

3. Tredecim ritus, & caeremoniae baptismum antecedentes olim in Ecclesia obseruati modo ex parte obseruantur. Primus ritus enumerari potest designatio patrini, de quo satis praecedenti dictum est. Secundus consecratio aquae baptismalis cum trina infusione chrysmatis in modum crucis, cuius meminit Dionys. cap. 2. Ecclesiast. Hierach. pun. 2. Ambros. lib. 1. de sacram. cap. 5. Raban. relatus cap. deinde de consecrat. dist. 4. Vnde peccatum mortale est extra necessitatem aqua non benedicta baptismum ministrare: sic tradit relato Didaco Nunez Bonac. disp. 2. q. 2. p. 7. num. 19.

4. Tertius est baptismi petitio, etenim baptizandus nomen suum pastoribus Ecclesiae olim dabat, quo iudicabat & baptismum petere, & nouo nomine se insigniri velle, cuius caeremoniae meminit Clemens episc. 3. Accedat (inquit) qui baptismum vult ad Sacerdotem, & nomen suum det. Et Cyrillus Hierosolymit. catechesi 1. intrafci eo loco dignus habitus, nomen tuum scriptum est. August. saepe huius ritus mentionem fecit, praecipue lib. de fide, & operib. cap. 6. & lib. de cura pro mortuis agenda cap. 12. & lib. 9. confessor. c. 6. & Concilium Carthaginen. 4. cap. 85. relatum in cap. baptizandi de consecrat. dist. 4. Qua caeremonia ab adultis facta baptizandi competentes vocabantur, quia simul cum aliis erant petentes baptismum. Antiquitus enim tria genera catechumenorum. distinguebantur, vt colligitur ex August. loco allegato. Primum erat illorum, qui exhortationes ad fidem audiebant ideoque auditores, seu audientes vocabantur, de quibus loquitur Cyprian. episc. 17. alijs. 13. lib. 3. Tertullian. lib. de penitent. cap. 6. & Isidor. lib. 2. de Ecclesiast. offic. cap. 2. Secundum erat illorum, qui exhortationibus assentientes baptismum petebant, ideoque petentes appellabantur, quorum meminit Isidor. dicto cap. 21. Hieronym. in episc. ad Pamachium. quae est. 61. in ordine. Pacianus serm. de baptismo. August. serm.

116. de tempore & lib. de fide, & operib. cap. 6. & lib. 9. confessor. cap. 6. & Dionys. lib. 2. de Ecclesiast. Hierarchia, & alij Patres. Simul autem ac baptismum petebant, nomen suum dabant scribendum, vt expressius de voluntate baptismi suscipiendi Pastoribus Ecclesiae constaret iuxta textum, legum Ecclesiast. carum 2. quest. 1. Nomen autem, quod ab iis petentibus baptismum dabatur, erat nomen, quo post susceptum baptismum appellari volebant. Quod regulariter erat nouum distinctum ab eo, quo dum erant gentiles utebantur, vt sic nomen cum noua professione conueniret. Facta petitione baptismi, & nomine dato instruebatur à Pastoribus Ecclesiae tum in rebus fidei, tum in iis, quae ad mores pertinent, iuxta illud Matth. vlt. vbi bis repetit Christus gentes baptizandas docendas esse primo de rebus ad fidem pertinentibus. Secundo de praecipis seruandis. Ex his autem, qui bene erant instructi eligebantur à pastoribus Ecclesiae baptizandi: vt pote iam apti, & dispositi ad baptismum recipiendum, eaque de causa electi vocabantur, quod erat tertium genus, & praecipuum catechumenorum, quorum meminit Leo magnus episc. 4. cap. 5. & 6. Sed ante hanc electionem septies examinabantur catechumeni, an recte in fide, & praecipis obseruandis essent instructi. Quod examen praecedentibus ieiunijs, & varijs caeremonijs fiebat, vt colligitur ex Leone magno episc. 4. cap. 6. in fine. Ruperto. lib. 4. de offic. Ecclesiast. cap. 18. August. lib. de fide, & operib. cap. 9. Tertullian. lib. de baptismo cap. 20. Huius caeremoniae vsus tam pro baptismo adultorum, quam paruulorum ex parte ab Ecclesia retinetur: cum enim baptizandus adultus est instruitur in doctrina Christiana, & cum plene, & perfecte constat instructum esse, ad Ecclesiam accedit baptismum suscipiendum, & stans in foribus Ecclesiae interrogatur à ministro quo nomine insigniri velit, responderique ipse, si adultus est, si minus responderet loco ipsius patrini: Petri, vel Ioannis nomine vocari volo.

5. Quo facto succedit quartus ritus, qui est trina exsufflatio in faciem baptizandi in modum crucis ad abigendos demones, ne baptismum impediant, neque suis tentationibus vexent baptizandum, & à gratia per baptismum recipienda faciant deficere. Meminit huius caeremoniae Aug. de Ecclesiast. dignitat. c. 31. dicens. Ex sufflationibus clericorum spiritum immundum abigi tam à paruulis, quam ab adultis. Et lib. 6. contra Iulian. c. 5. inquit. Ecclesia filios fidelium neque exorcizaret, neque exsufflaret, si non eos de potestate tenebrarum, & à principe mortis erueret. Consecratis ijs Caeselin. Papa in episc. ad Episcop. Galliae cap. 12. & Raban. lib. 1. de instit. clericor. c. 27. relatus. c. postquam. de consecrat. dist. 4. exsufflatur inquit, ab eo facta potestas, vt per pium Sacerdotis ministerium Spiritui sancto cedat fugiens spiritus malignus.

6. Quintus est signatio crucis in fronte, & in pectore baptizandi iuxta antiquissimum vsum ab August. relatum. lib. de catechizandis rudibus cap. 20. Crucis, inquit, signo in fronte, hodie tanquam in poste signandum est. Idem tradit Ambros. lib. de his qui inuitantur. cap. 4. & ante ipsum Dionys. de Ecclesiast. Hierarch. cap. 2. & 5. Finis huius caeremoniae, vt ex Aug. constat, est ad significandum baptizato crucis virtute incolumitatem à demone esse habiturum, sicuti Itraëlitae, quorum postes erant sanguine Agni signati, incolumitatem habuerunt ab Angelo percussione. Eaque de causa dixit Raban. lib. 1. de instit. cleric. cap. 27. & refertur cap. postea de consecrat. dist. 4. baptizandus signatur signaculo sanctae crucis tam in fronte, quam in corde, vt ab eo tempore ipse apostata diabolus in vase suo pristino illud interruptiois cognoscens signaculum, iam sibi deinceps illud sciat esse alienum. Deinde signatur in fronte, & in pectore, vt intelligat quod non solum interius in corde, sed exterius palam, & manifestè crucem Domini Iesu Christi crediturus, & adoraturus sit.

7. Sextus, impositio manus super baptizandum recitata oratione in Romano Rituali praescripta, qua finita Sacerdos apprehendit baptizandi manum, & sic eum in Ecclesiam introducit. Antiquissimus fuit hic ritus, vt constat ex Dionys. lib. 2. de Ecclesiast. Hierarch. & Clement. Romano, lib. 7. constit. cap. 40. & ex concil. Carthaginen. 4. c. 83. & August. lib. 2. de peccator. merit. & remiss. cap. 26. credique potest hanc caeremoniam delumptam fuisse ex facto Christi Matth. 19. & Apostolorum vsu relato in cap. 8. 9. & 13. actu Apostolorum. Hac caeremonia ad duplicem effectum significandum assumitur; primo ad impetrandam perseverantem sanctificationem baptizando, ob quam causam dixit August. dicto lib. 2. de peccator. merit. cap. 26. Catechumenos secundum quemdam modum suum per signum Christi, & orationem, manulque impositionem sanctificari. Secundo per hanc manus impositionem orationi adiunctam praeculidit via demoni, ne semel expulsum ad baptizandum redeat. Sicuti dixit D. Thom. 9. 70. art. 2. in cor.

8. Septimus, introductum in Ecclesia exorcizat Sacerdos sicuti etiam olim fiebat teste Cyrillo Hierosolymit. catechesi 1. Dionys. cap. 2. de Ecclesiast. Hierarch. Ambros. lib. 1. de sacram. cap. 5. Caeselinus Papa episc. ad Episcopos Galliae, cap. 12. & August. lib. 6. contra Iulian. cap. 5. & lib. 1. de peccator. merit. & remiss.

remiss. c. 34. & alibi sepe. Fit autem hæc cæremonia ad arcendam virtutem demonis, eiusque fugandam incurionem, sicuti dicitur *cap. sicus nostris de consecrat. dist. 4.* Est enim exorcismus quedam immundi Spiritus increpatio, quam ipse, vt pote superbus sustinere recusat.

9. Octauus. Imponit Sacerdos ori catechumeni salem prius à se benedictum in signum cælestis sapientiæ, quam recepto baptismum gustare debet. Quo sapientiæ sale conditus fortior crearet iniquitatis; & à vermibus peccatorum ultra ne putrescat, vt dixit Raban. de *institur. cleric. lib. 1. cap. 27.* & referatur *cap. ex hinc de consecrat. dist. 4.* Vltus huius cæremonie antiquissimus fuit, colligitur ex concilio Carthagen. 3. cap. 5. & ex Beda relato in *cap. sal. cælestis de consecrat. dist. 4.* & ex Petro Damiano *epist. 15. cap. 20.* Isidor. *lib. 2. de Ecclesiastic. offic. cap. 29.*

10. Nonus. Iterum Sacerdos imponit manum, & signat catechumeni frontem signo crucis, & exorcizat, i quibus finitibus illius aures, & nares salua tangit, dicens. Epheta, quod est adperire, quia prædicta cæremonia operat, vt aures baptizandi aperiantur ad sermonem & eloquium Sacerdotis. Nares vero vt bonum odorem accipiant pietatis æternæ, sicut in eo fidei, & deuotionis plena, fragrantie, sicuti dixit Ambros. *lib. 1. de sacram. cap. 1.* Raban. de *institur. cleric. lib. 1. c. 27.* & referatur *c. postea de consecrat. dist. 4.*

11. Decimus. Imposita manu iterum benedicit Sacerdos baptizandum, vt sic aduersus diaboli insidias magis munitus existat.

12. Vndecimus. Abrenunciat catechumenus, (si adultus est, sinimus loco ipsius electus patrinus) satianæ, & operibus eius, & pompis. Sicuti tradidit Clemens, *lib. 7. constitur. Apostolic. cap. 4. & 42.* Dionys. 2. part. de cælesti Hierarch. cap. 2. Tertullian. *lib. 2. de spectaculo. cap. 1.* & lib. de corona militis, cap. 3. Cyprian. Origen. Cyrill. Chrysof. Ambros. August. Hieronym. & alij partes prout refert Valq. *dicta dist. 166. cap. 3.* Suar. 9. 71. art. 1. Ex quibus partibus maximè ex Dionys. Cyrillo, Ambrosio & Hieronymo colligitur antiquitus hanc abrenunciacionem fieri à catechumeno versus ad occidentem, & renunciacionem facta conuerti ad orientem, vt indicaretur baptizatum spreto demone tenebrarum parte, Christum, qui lux est, inueniri debere.

13. Duodecimus. Inungit Sacerdos catechumeni pectus, & scapulas oleo benedicto, cuius cæremonia meminit Cyrill. Hierosolymit. *catechesi. 2. mystagog. Chrysof. in cap. 2. epist. ad Colossos. hom. 6.* Basil. *lib. de Spiritu sancto cap. 27.* Isidor. *lib. 2. de officis Ecclesiastic. cap. 20.* Alcuin. *in epist. ad Odinum de baptisimi cæremon. in 3. 1. bibliotheca sacra. Finis, & significatio huius cæremonie, sicuti colligitur ex Rabano *lib. 1. institur. clericor. cap. 27. relato in cap. deinde consecrat. dist. 4.* est, vt sacrum baptismum cum fide accepta custodiatur, vngitur enim illius pectus de oleo sanctificato tum inuocatione sanctæ Trinitatis, vt nullæ reliquie latentis inimici in eo resideant, sed in fide sanctæ Trinitatis mens eius confortetur, vngitur & inter scapulas de eodem oleo, vt vndique muniat, & ad bona opera faciendâ per Dei gratiam roboretur. D. Thom. 9. 66. art. 10. ad 2. inquit baptizandum vngitur oleo sancto, & in pectore, & in scapulis quasi athleta Dei, vt Ambros. *dictis lib. 1. de sacram. cap. 2. & lib. 3. cap. 1.* Sicut pugille inungi consueuerunt. Innocent. c. unico. §. quia vero de sacra vnditione dicit Baptizandum in pectore inungitur, vt per sancti Spiritus donum abiciat errorem, & ignorantiam, & fidem rectam suscipiat, quia iustus ex fide viuunt. Inter scapulas autem inungitur, vt per Spiritus sancti gratiam excusat negligentiam, & torporem, & bonam operationem exerceat, quia fides sine operibus mortua est, vt per fidei sacramentum sit munditia cogitationum in pectore, & per operis exercitium fortitudo laborum in scapulis.*

14. Decimus tertius. Fidem interrogante Sacerdore catechumenus profiteatur, vel per se ipsum, si adultus est, vel per patrinum si sit paruulus, ideoque vocatur baptismus sacramentum fidei, quia in eo primo fidem Christi solemniter profitemur. Huius professionis mentionem fecit Clemens Romanus *lib. 7. constitur. Apostolicar. cap. 42.* Dionys. *cap. 2. de Ecclesiast. Hierarch. Hilarius in c. 15. Martini super illa verba. Iesus autem conuocatis. Isidor. lib. 1. de officio cap. 26.* Alcuin. *lib. de diuini offic. cap. 15. in 3. 1. bibliotheca sacra. Hieronim. in dialogo aduersus Luciferian. num. 24.* August. *lib. 8. confession. c. 2.* & alij passim. Ratio huius cæremonie est, vt baptizandus, si adultus est, plenam fidei noticiam habeat, & Ecclesiæ confiteatur. Si vero sit paruulus, patrinus agnoscat se obligatum esse ad instruemdum infantem, cum opus fuerit, eaque de causa manum eius capiti imponat, & nomine ipsius lyrudolum, & orationem Dominicam recitat. Et insuper fit, vt omnibus constet tam paruulos, quam adultos obligatos esse ad fidem, & religionem Christianam conseruandam, neque obstat, quod aliena voluntate eam susceperint. Quod si petas qualiter prædicti ritus suos effectus operentur? Respondeo non infallibiliter, & ex diuina promissione, aliàs essent sacramenta, sed ex Ecclesiæ imperatione, & merito vt pote gratiss.

Ferd. de Castro Sum. Mor. Paris I. V.

ma Deo frequenter obrinet petita. Vide Agid. de Coninch. 4. 71. art. 3. dub. unico.

15. Cæremonia, seu ritus baptismum comitantes sunt. Tempus, locus, & modus ablutionis, prolacionisque formæ. Quoad tempus. Esto olim fierent baptismum tantum ita pro festo Paschæ, & Pentecostes celebranda, vt tradit D. Thom. ab omnibus receptus *qu. 66. art. 10.* & constat ex *cap. baptizandi. cap. de catechumenis. cap. duo tempora. cap. si qui cap. non ratione & aliis de consecrat. dist. 4.* Attamen iam quolibet tempore celebrari possunt. Si enim paruulus baptizandus est, quolibet die post natiuitatem baptizari potest. Si adultus, cum primum in fide fuerit conuenienter instructus, vt bene ex Gregor. Nazianzen. *orat. 40.* Basil. *in exhortat. ad baptismum. notauit Suar. quæst. 71. art. 1. disp. 30. sect. 2.* in prima circumstantia.

16. Quoad locum. Tempore nascens Ecclesiæ nullus erat determinatus, sed in fluminibus, fontibus, priuatique domibus administrari poterat, vt constat ex actibus Apostolorum *cap. 2. 8. 10. & 16.* Postmodum fuerunt loca designata separata ab Ecclesiis, quæque baptisteria vocabantur, quorum meminit Cyrill. Hierosolymit. *catechesi. 1. mystagogica Nazianzen. orat. 40. Paulin. epist. 12.* & concil. Antiodorensis sub Pontifice, Deusedit *cap. 14.* Sed iam vltus, & consuetudo obtinuit, vt in qualibet Ecclesia Parochiali vas quoddam lapideum consecratum habeatur, quod fons baptismalis appellatur, cuiusque meminit. Origen. *hom. 12. in Num. Ambros. lib. 1. de sacram. cap. 5. & lib. 2. c. 5. in princ.* Raban. *lib. de institur. Clericor. cap. 28.* Et specialiter exant apud Gratianum ex concilio Meldensi, seu Illedensi hæc verba, relata in *cap. omnis presbyter. de consecrat. dist. 4.* omnis presbyter, qui fontem lapideum habere nequieuit, vas conueniens ad hoc solummodo officium baptizandi habeat, quod extra Ecclesiam non deponetur. Vnde in concilio Viennen. id seuerè præcipit Clemens. V. sicuti refert in *Clemens. unica de baptisimo.* Quapropter graue peccatum committeret seclusa necessitate, qui extra Ecclesiam in priuatis oratoris hoc sacramentum solemniter ministraret. Excipiuntur Regum, & Principum liberi, id est filij, & nepotes tam naturales, quam legitimi supremorum principum, hoc est illorum, qui alteri subiecti non sunt, sicuti explicuit Glossa in *dicta Clemens.* & tradit Eman. Saâ, *verbo baptismum, num. 13.* Valq. *dist. 166. cap. 2. num. 7.* Paul. Laymann. *lib. 5. sum. tract. 2. cap. 8. n. 8. vers. inter cæremonias. Agid. de Coninch. 9. 71. art. 2. dub. un. n. 13.* Suar. *dist. 30. sect. 2. vers. secunda circumstantia.*

De modo ablutionis, an per immersionem, an per affusionem debeat fieri, & de formæ prolacione factis diximus, cum de materia, & forma huius sacramenti sermonem fecimus, semper enim in his retinenda est diceesana consuetudo. Quoad ministrum atinet satis constat ornatum esse debere factis vestibus, ad minus super pellicio, & stola, vt cauetur in rituali Romano.

17. Ritus subsequentes baptismum iuxta antiquum vsum sunt, vñctio chrismatis in vertice baptizati, vestis candida, cereus accensus, osculum pacis, & lactis, & mellis gustatio, lotioque pedum. Vñctio chrismatis in vertice baptizati, quæ modo leuatur cæremonia fuit antiquissima, vt colligitur ex concilio Araficano. *cap. 1.* dicente. Nullus ministrorum, qui baptizandi recipit officium sine chrismate vnquam debet progredi, quia inter nos placuit semel in baptismate chrismate. Idem ex Dionys. *cap. 2. de Ecclesiast. Hierarch. Nazianzen. orat. 40.* Ambros. *lib. 3. de sacram. c. 3. & lib. de iis qui inuitantur. cap. 6.* & aliis. Aduerte chrismata recens esse debere, hoc est illo anno in die cœnæ Domini consecratum. Aliàs seclusa necessitate graue peccatum esse videtur, vt colligitur ex *cap. de oleo de consecrat. dist. 4.* Inquit enim textus. Quod si quis contrarium tentauerit propria emeritate ipse in se læe damnationis protulisse sententiam manifestatur, ob quam causam Glossa in *cap. quoniam de Sentent. excommunicat. in 6. verbo dubium.* Sacerdotem delinquentem in hac parte deponendum esse decedit. Et ita tradit Nauarr. *cap. 22. num. 7. & cap. 25. num. 75.* Suar. *quæst. 71. art. 3. in comment. Agid. de Coninch. art. 2. dub. unico. num. 17.* Eman. Saâ *verbo baptismum, num. 15.* Bonac. *dist. 2. quæst. 2. pun. 7. num. 20.* Paul. Laymann. *lib. 5. sum. tract. 2. cap. 8. num. 9.* Finem huius cæremonie optime explicuit catechismus Romanus. 2. p. num. 57. dicens hæc cæremonia significari baptismum ab eo die Christo capiti tanquam membrum coniunctum esse, atque eius corpori insertum, & ea re Christianum à Christo, Christum vero à Chrismate appellari. Et Iustin. *lib. quæstion. & responson. quæst. 137.* inquit nos in baptismum vngi chrismate eo oleo, & ballamento cuncto, vt vñcti, & Christi dicamur, & in recordationem Dominicæ sepulture Gregor. Nazianzen. *orat. 40.* asseuerat baptizatos capite inungi in signum regie, Sacerdotalisque dignitatis.

18. Secunda cæremonia olim ab Ecclesia vñctata, quæque ex parte retineatur est vestis candida in signum puritatis ex baptismum susceptæ vt tradit D. Thom. *quæst. 71. art. 3. ad 4.* Ambros. *lib. de his qui inuitantur. cap. 7.* August. *serm. 157. de tempore*

tempore Raban. lib. 1. de institut. Cleric. cap. 29. & lib. 2. cap. 39. quam vestem portabant baptizati à die Paschæ, quo baptizati erant vsque ad Dominicam sequentem, quæ ea de causa in albis vocata est, quia candida vestimenta eo die deponebant. Vltus huius ceremoniæ obseruatur Romæ pro baptismo adulatorum Sabatho Paschæ factò, sed non alibi: est tamen in quocumque baptismo tam paruulorum, quam adulatorum quoddam illius vestigium, siquidem finito baptismo Sacerdos caput baptizati veste candida regit.

19. Tertia ceremoniæ nunc obseruata ab Ecclesia est cæcus accensus baptizati manui impositus in signum quod expulsi errorum, & peccatorum tenebris lumen fidei, & gratiæ receperit vsque ad finem vitæ conseruandum, bonisque operibus augendum, vt sic Christo sponso à nuptiis reuertenti, & pulsanti confestim possit aperire. Sicuti dixit Gregor. Nazianz. orat. 40. in sanctum baptisma, & ibi Nizetas, & Alcuin. de diuinis officiis cap. de Sabatho sancto.

20. Præter dictas ceremonias aliæ tres antiquitas vnitatis prorsus inuoluerunt. Prima erat osculum pacis datum à fidelibus in signum quod baptizatus frater illorum factus sit, de qua mentionem fecit Cyprian. lib. 3. epist. & aliis 59. ad Fidum. Secunda lactis, & mellis gustatio ad significandam infantiam, quam ex recenti baptismo, & spiritali illius generatione habebant: sicuti dixit Tertullian. lib. 1. aduersus Marcionem cap. 14. num. 95. & lib. de corona militis cap. 3. nu. 30. Hieron. dialogo contra Luciferanos, & in princ. cap. 55. Isaie. In cuius confirmationem canit Ecclesia, Quasimodo geniti infantes lac concupiscite, & c. & licet mellis mentio facta non fuerit, ea causa fortè fuit quia loco illius aliquando vinum propinabatur, teste Hieronymo in locum Isaie. Tertia, quæ neque antiquitas fuit vsu firmata, erat lotio pedum in subsidium sanctificationis, vt inquit Ambros. lib. de his, qui mysteriis initiantur cap. 6. & 3. de Sacrament. cap. 1. Item cum Adamus supplantatus fuerit à dæmone, eius alcaneo insidiantie, opus fuit, vt recens baptizatus ea lotionem pedum muniretur, ne illius insidiis à recepta gratia deficeret. Verum quia hæc lotio pedum dignitatem baptismi minuire videtur, eo quod denotat baptizatum non esse plene, & perfecte mundatum, sed indigere noua illa lotionem iuxta illud Ioann. 13. Qui lotus est non indiget, nisi vt pedes lauet. Ecclesia Romana hanc ceremoniam nunquam admittit, sicuti testatur Ambros. supra, eamque, concilium Eliberitanum can. 48. penitus abrogauit, vt probat Valq. disp. 166. cap. ult. circa finem.

21. Notant vero Doctores neminem excusari ab iis ceremoniis adhibendis, eo quod baptismum priuatim urgente necessitate receperit, sed obligatum esse, si adultus sit, sin minus ejus parentes, seu tutores supradictas ceremonias adhibere. Quia ad expulsionem dæmonis, illiusque insidias dissoluendas, & tentationes superandas, & ad fidem, & gratiam receptam conseruandam æque conducere possunt, ac si simul cum baptismo factæ fuissent. Neque obstat dæmonem baptismum expulsum esse, siquidem peccatum remissum est, insidias illius, & tentationes pro impediendo baptismum dissolutas, & superatas, quominus exorcismi effectum habeant, siquidem Ecclesia mediis illis intendit à Deo, impetrare perfectam, & peruerentem dæmonis expulsionem casu quo expulsi sit, & consequenter ne illius tentationibus, & insidiis superatus fidelis à Fide, & Charitate deficiat, & locum diabolo præbeat. Possunt ergo exorcismi, & à fortiori reliquæ aliæ ceremoniæ suam significationem, & effectum habere. Igitur omitti non debent. Sic docent Richard. in 4. disp. 6. art. 6. quæst. 1. Viuald. in candelab. de baptismo. cap. ult. num. 18. Victoria eodem n. 38. Eman. Saâ verbo baptisimus n. 5. Bonac. disp. 2. q. 2. pun. 7. n. 21. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 2. cap. 8. nu. 10. Egid. de Coninch. q. 66. art. 9. nu. 99. colligiturque aperte ex cap. hunc. regulam. 1. quæst. 1. & cap. 1. de Sacram. non iterand. & ex vsu, & consuetudine recepta, & à Romano Rituali approbata.

22. Paul. Laymann. loco allegato testatur baptizatum ab hæreticis in infantia, cum iam adultus ad fidem conuertitur non esse solum in Germania deferri ad Ecclesiam, vt solemnitates in baptismo omittæ adhibeantur, ne baptismum ab hæreticis ministratum videatur Ecclesia Romana vt minus validum iudicare. At si timor huius suspicionis, alteriusve scandalii cessaret, credit ipse & bene nullam esse legitimam causam, ob quam prædictæ ceremoniæ omittendæ essent.

23. Sed quid si constaret baptismum solemniter ministratum inualidè ministratum fuisse deberent ne repeti eo casu simul cum baptismo ritus, & ceremoniæ? Negat Henricus. lib. 3. c. 2. de confirmat. num. 1. litt. N. Bonac. disp. 2. quæst. 2. pun. 7. in fine num. 22. Suar. disput. 31. sect. 6. §. septimo inquiri potest. Egid. de Coninch. q. 66. art. 9. dub. 1. num. 99. Mouentur, quia esto hæc ceremoniæ ab Ecclesia institutæ sint, vt honorificentius baptismus ministraretur, at sæpè necessarium non est, vt simul cum baptismo adhibeantur, vt contingit cum baptismus ob necessitatem absque illis ministratur. Ille ergo ceremoniæ postmodum ministrare ob relationem ad præcedens baptismum censentur moraliter cum ipso conferri, & quasi ipsi

ornare. Ergo id ipsum præstare poterunt ceremoniæ antecedentes. Confirmatur, ex Innocent. III. cap. 1. de Sacram. non iterandis: vbi Innocent. inquit. In sacramento imprintedibus characterem non esse iterationem faciendam, sed cautè suppleendum defectum. Cum ergo solum in substantialibus, & non in accidentalibus defectibus contingerit, solum defectus substantialis, & non accidentalis suppiendus est. Deinde benedictiones in matrimonio inualidè contracto non repetuntur. Ergo neque huiusmodi ceremoniæ repeti debent.

24. Cæterum si baptismus, secluso scandalo, grauique baptizati damno publicè celebrari potest, existimo probabilius ceremonias, & ritus repetendos esse, ne baptismus debitus cultus, & ornatus deficiat. Ob hanc enim causam præcipuè sunt ab Ecclesia præscripti, & imperati. & ita docent D. Antonin. 3. part. 13. cap. 14. §. 22. Bartholom. ab Angelo de Sacram. dialog. 2. §. 69. Henric. sibi contrarius. lib. 2. cap. 15. num. 4. Reginald. lib. 28. n. 3. & alij.

25. Neque rationes in contrarium videntur. Ex eo namque quod baptismum in necessitate collato sine ceremoniis ceremoniæ postea adhibeantur, nequaquam inferri potest baptismum repetito ceremonias repetendas non esse, quia ceremoniæ sunt baptismum accessoriae non vtunque, sed debitam illius administrationem ornantes, & componentes, ac proinde eo repetito, repeti debent. Secus vero est in benedicti onibus nuptialibus, quæ institutæ non sunt ad ornandum matrimonium, cum actu contrahitur, sed supponunt contractum, illudque proficiunt. Minus vrget textus in c. 1. de Sacram. non iterand. Fateor namque iterandum non esse, quod ritè factum est, nisi sit accessorium illius, quod repeti debet. Cum autem ceremoniæ sint accessoriae baptismum, & propter illius legitimam administrationem institutæ, eo repetito sunt repetendæ.

PUNCTVM XIII.

De vnitate Baptismi.

1. Baptismus vnus est vnitatis specifica.
2. In singulis subiectis vnus est numero, nec multiplicabilis.
3. Stante dubio rationali de valore baptismi repeti potest.
4. Quale sit hoc dubium.
5. Qualiter dubium rationale cognoscatur.
6. Quid dicendum de infante exposto.
7. Quid de baptismo domi ab obseruatis.
8. Quid de infante nato, & educato inter fideles, vel infideles.
9. Vultus testis fide dignus baptismum probat.
10. In casibus, in quibus repeti potest baptismus ex obligatione est recipiendus.
11. Adultus probabiliter dubitans de baptismo obligatur repetitionem procurare.
12. Qualiter baptismus repetendus sit.

1. Quæstio esse potest de duplici vnitatis specifica, & numerica. Si de vnitatis specifica loquamur. Fide certum est Sacramentum baptismi vnum esse vnitatis specifica, atoma, ex illo Paul. ad Ephel. 4. Vnum Deus, vna fides, vnum baptisma. Sicuti explicat Hieronymus. ibi r. 6. & Chrysof. serm. 11. Ambros. lib. 2. cap. 2. de patienti. Et constat ex Trident. decedente septem tantum sacramenta esse, cui definitioni obstitant plura baptismina. Neque obest huc vnitati, quod baptismus aliquando asperusione, aliquando immersione celebreretur, quia hæc sunt differentie accidentales abluitionis, cum corpus qualibet ex illis perfectè abluatur, & effectus significatur, & causatus idem omnino sit. Solum obstat potest vulgaris illa diuisio in baptismum aquæ, fluminis, & sanguinis, cuius meminit. Thom. quæst. 66. art. 11. & 12. Magister in 4. disp. 4. & ibi ferè omnes expositores. Verum illa non est diuisio baptismi sacramenti, sed est diuisio baptismi seu abluitionis vt sic, & non vniuoca, sed analogæ. Solum enim baptismus fluminis, seu aquæ est sacramentum, reliqua vero sacramenta non sunt sed baptismi sacramenti vices gerunt, & illius defectum suppleunt, eaque de causa baptismata nuncupantur. Etenim impeditur suscipere baptismum, si vorum illius habeat in contritione, seu dilectione Dei super omnia ineluctum, gratiam, & remissionem cuiuscunque culpæ consequitur, qui est effectus proprius sacramenti baptismi, & à fortiori hunc effectum habebit, si vitam pro Christo posuerit, iuxta illud. Nemo maiorem charitatem habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Ergo baptismus fluminis, sanguinis vices baptismi sacramenti gerunt, ipsa tamen sacramenta non sunt quia non sunt signa à Christo instituta ad remittenda peccata, & gratiam conferendam. Baptismus enim fluminis, qui est contritio, vel dilectio Dei super omnia neque est signum (suscipibile, neque à Christo institutum ad peccatorum remissionem, sed vt sua peccata remittit, & gratiam confert. Baptismus vero